Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



[illegible]ratione: uerba sapientie & enigmata eorum. Timor domini principium
sapientie. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi fili mi
disciplinam patris tui & ne dimittas legem matris tue: ut addatur
gratia capiti tuo & torques collo tuo. Fili mi si te lactauerint peccato
res ne adquiescas eis. Si dixerint. ueni nobiscum insidiemur sanguini
abscondamus tenduculas contra insontem frustra. deglutiamus eum sicut
infernus uiuentem & integrum quasi descendentem in lacum: omnem pre
ciosam substantiam reperiemus: implebimus domos nras spolis. Sortem
mittite nobiscum marsupium unum sit omnium nrm: fili mi ne ambules
cum eis. Prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt:
& festinant ut effundant sanguinem. Frustra autem iacitur rete ante
oculos pennatorum: ipsi autem contra sanguinem suum insidiantur & moliuntur
fraudes contra animas suas: sic semite omnis auari animas possidentium
rapiunt. Sapientia foris predicat & in plateis dat uocem suam in capi
te turbarum clamitat: in foribus portarum urbis profert uerba sua dicens.
Usquequo paruuli diligitis infantiam & stulti ea que sunt noxia cupi
ent: & imprudentes odibitis scientiam. Conuertimini ad correptionem
meam & proferam uobis spiritum meum: & ostendam uerba mea. Quia uocaui
& renuistis extendi manum meam & non fuit qui aspiceret: despexistis omne
consilium meum & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu
uestro ridebo & subsannabo cum uobis id quod timebatis aduenerit: cum irruerit
repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit: quando
uenerit super uos tribulatio & angustia. Tunc inuocabitis me & non exau
diam: mane consurgent & non inuenient me. eo quod exosam habuerit
disciplinam & timorem domini non susceperit: nec adquieuerint consilio meo.
& detraxerint uniuerse correptioni mee. Comedent igitur fructum uie sue:
suisque consilius saturabuntur. Auersio parruloruum interficiet eos & prosperitas stultorum perdet illos: qui autem me audierit absque terrore requiescet.